

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0836

0834

0840

0830

0845

0825

0885

0785


0935

0735

0335

Ende

Anfang



263

et dispositionem retulerunt. Haec ut nostri audiverunt, festinato castra moverunt et de Rama in montana Judaeae ascenderunt, et cum iam sanctam urbem conspicerent, pro qua tot labores et pericula pertulerant, prae gaudio fuis lachrimis Deum glorificaverunt et cum jubilo et cantu civitati appropinquabant. Et dum in agrum fullonis venissent, qui est campus grandis ab occidentali civitatis parte, diviserunt legiones et totam urbem circumdederunt et in monte Oliveti tentoria fixerunt et in monte offensionis et in Gyon eamque urbem sanctam et dilectam quasi inimicam vallaverunt. Multa autem aedificaverant Sarraceni pro munitione urbis extra muros, quae omnia in una hora destructa sunt a nostris. Haec obsidio facta est anno Domini 1099. die VII. mensis Junii, et duravit XXXV dies, usque ad XI. diem Julii. Porro quid de Judaeis in civitate sancta morantibus egerint Sarraceni, non invenio scriptum, credo autem eos connumeratos inter Sarracenos et cum eis mansisse usque ad interitum. Hae enim duae gentes licet sibi invicem invident, tamen contra Christianos semper concordant, sicut patet in chronicis. Nam tempore Justiniani imperatoris, qui fuit anno Domini DXXIV., conglobati Judaei et Sarraceni sunt in terra sancta contra Christianos, stragem magnam ac crudelem fecerunt in eos conabanturque eos penitus delere, sed praefatus imperator succurrit et horribili plaga Judaeos et Sarracenos prostravit.

Quinta ergo die, postquam exercitus noster ad urbem pervenit, ad impugnationem omnes unanimiter accinguntur et de muris non parva nocumenta acceperunt nostri. Erat enim civitas, ut dixi, bene munita et in omnibus provisa, quae ad resistendum erant necessaria. Verum illa vice conatus nostrorum effractus est et multi vulnerati in castra reportati sunt. Similiter aliis diebus nostri conabantur et moliebantur destruere murum et nihil reportarunt nisi cadavera suorum fratrum et vulneratos de muris. Insuper necessariorum defectio, panis et aquae, et praecipue aquarum carentia incipiebat nostris fieri intolerabilis, et quia major pars plebis infirmabatur ex ariditate et siti. Quotiens autem civitatem oppugnare attentabant nostri, totiens tam validam manum senserunt